



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Valentiniani cæde, & Romæ expugnatione, & alijs qui illic imperitabant.
Cap. VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

De Valentiniani cæde, & Romæ expugnatione,
& alijs qui illic imperitabant. Cap. VII.

DVM hæc in Oriente geruntur, in antiqua Roma Aetius miserè interfectus est. Valentinianus quoq; partitū versus occidentem imperator, & Heraclius vnà, à quibusdam Aetij militibus è medio sublatis: insidijs à Maximo, qui imperium ambierat, propterea contra eos comparatis, quòd coniunx Maximi fuerat à Valentiniano stuprata, & per vim còpressa. Iste Maximus Eudoxiam Valentiniani vxorè coegit inuitam sibi nubere. Illa igitur, neque id sane immeritò, hoc facinus & contumeliæ, & turpitudinis maximæ loco ducēs, & omnem aleam, vt dicitur, iacere cupiēs propter ea quæ maritus passus est (mulier enī est & propter pudicitiam quam ipsa amiserat atrox, & animo implacabili, cum pudicitiam retinere studens ea spoliatur, idque ab eo maxime cuius atrocitate virum amisit) mittit in Libyam ad Genzerichum, dona quàm plurima illi dat, bonamque spem etiam animo eius inijcit, de alijs in posterum potiundis: suadet vt ex inopinato imperium Romanū inuadat, polliceturque se omnia in manus eius tradituram. Qua re confecta, Roma capitur. Genzerichus, vtpote barbarus, morum incòstantia et mobilitate præditus, fidē huic minimè seruat, sed vrbe incensa, rebusque omnibus direptis. Eudoxia denique cum binis filiabus capta, reuertitur: inque Libyam se recipit, & Eudoxiam maiorem natu filiam, filio suo Honoricho collocat in matrimonium: Placidiam autem natu minorem vnà cum Eudoxia matre postea famulatu plane regio comitatam, quòd Martiani animum (nam & incendium Romæ, & imperatoris Valentiniani filix tam contumeliosè tractatæ ei bilem mouerant) pacatum & tranquillum efficeret, mittit. Itaque Placidia iussu Martiani eam despondentis, nubit Olybrio, viro nobili ex ordine Senatorio: qui Roma capta, confugit Constantinopolim. Mortuo Maximo imperium Romanorum obtinet Auitus ad menses octo. Quo peste extincto, Maiorinus proximo anno suscipit imperij gubernacula: Maiorino etiam à Rhecimero Romanorum duce per insidias interempto, Seuerus triennio imperium occupauit.

De mor-